

601 Dis. XVI. Part. IV. de intellectu possibili. 602

patibilem vocant, deinde de ipsa intellecione, seu ipsomet intelligere, circa quod rursus duo, eaque magni momenti sese offerunt explananda: *Primum* est, in quonam consistat *possibilitas intelligere*, & quomodo distinguitur à dicere? alterum, an actualis intellectus, seu actualis notitia intellectiva sit quid distinctum à specie expressa? qua difficultas currit tam respectu notitiae intellectiva, quam sensitiva; si enim notitia intellectiva sit quid distinctum à specie expressa intelligibili, notitia quoque sensitiva erit quid distinctum à specie expressa sensibili; quid sit autem species expressa, si pius repetitum est.

De primo igitur videndum est, de quo queruntur *primo* Philosophi, an intellectus sit potentia organica? resoluuntque communiter esse inorganicam, probantq; *primo*: Potentia organica debilitatur per frequentes suos actus: sed intellectus non debilitatur intelligendo, ergo non est potentia organica.

Secundo: Si esset potentia organica, debilitaretur ad debilitationem corporis, sicut videamus potentias sensitivas debilitari in senibus: sed intellectus potius fortificatur in senibus, ut experientia constat, ergo &c.

Tertio: Potentia organica non percipit ea, quae in se sunt: sed intellectus cognoscit suos habitus, in modo seipsum, ergo non est potentia organica: denique res organicæ non cognoscunt res spirituales, intellectus autem percipit spiritalia.

DECISIO.

Num. 21.
Intellectus
possibilis, et
spiritualis.

Resolutio. Esto de fide sit intellectum esse potentiam inorganicam, seu spiritalem, hoc tamen non potest ratione efficaci demonstrari naturali ostendi: *Prima* pars patet ex eo, quod ostensum sit esse de fide animam rationalem esse spiritalem, sed potentia debent esse eiusdem rationis: ergo sunt spiritales.

Secunda vero resolutionis pars patebit per responsionem ad superiora argumenta.

Respondere ergo posset Proterius ad *primum*, intellectum fatigari per frequentes actus, vnde qui sunt affidui studii, aut qui res maioris momenti tractant, sunt melancholici, nec ita affectables, quod prouenit ex varijs nimium cogitationibus, quas in studio, & tractatione illorum negotiorum impendunt.

Respondere etiam posset ad *secundum* debilitari intellectum ad debilitationem corporis; videamus enim senes reparefere plerumq;, nec esse ita firmi in ingenij, sicut in adulta ætate: propter varias tamen experientias aliquid ingenij praefere ferre videntur, & auctoritas, quam in iuuenes habent, efficit, ut ipsi major fides adhibeatur.

Respondere posset ad *tertium*, quod intellectus non cognoscat seipsum, neque suos habitus, nisi reflexe, quod præstat etiam visus; nam oculus Petri seipsum videt in oculo Iohannis.

Respondere quoque posset ad *quartum* dicens nos non intelligere res spirituales prout sunt, sed formare quedam idola rerum materialium, quibus res spirituales exstinximus nos cognoscere, sicut quando imaginamur montem aureum; hac enim imaginatio fit à potentia organica.

Objicies contra *primam* partem resolutio-

nis nostra; illa est potentia organica, quæ lœso organo lœditur, sed lœso organo in capite lœdatur intellectus, vt patet in phreneticis, ergo intellectus est potentia organica.

Respondeo illam esse potentiam organicanam, cuius lœso organo, ipsa in se, & per se lœdatur; at lœso organo in capite non ipse lœdatur intellectus, sed potentia sensitiva existentes in capite: at quia intellectus nihil intelligit, quin prius obiectum sit cognitum à potentis sensitivis internis; idem non mirum, si ipsi lœsis non possit intellectus debite exercere suas operationes.

Quarunt *secundo* Philosophi, an intellectus sit potentia activa, vel passiva? resoluuntq; communiter esse partim actiuam, & partim passiuam: passiuam in quantum recipit species intelligibiles; actiuam verò in quantum informatus illis speciebus intelligibilibus elicit intellectionem.

Probat ergo quod sit passiuus, quia quod recipit, se habet passiuè, sed intellectus species intelligibiles recipit, ergo se habet quod hoc passiuè. Sic verò probant, quod sit actiuus: omnis actio prouenit ab aliquo agente, sed intellectio est actio, aut saltem aliquid productum, ergo ab aliquo agente, sed ab alio non potest procedere, quām ab intellectu. *Secundo*, actio denominat agens, sed intellectio denominat intellectum; ergo producitur ab intellectu, & per consequens intellectus est ipsum agens, seu producens, igitur intellectus est actiuus.

DECISIO.

Resolutio. Intellectus dictus communiter possibilis, seu patibilis est tantum actiuus, & agens: Probatur, idem dicitur passiuus ab aribus, quia recipit species intelligibiles, sed nullas recipit, ergo nullo modo est passiuus. Vis huius argumenti petitur ex ostensione, quod non dentur species intelligibiles: sed hoc abunde præstitum partitione secundâ huius disputationis: vnde sicut diximus potentias sensitivas non esse passiuas, sed merè actiuas: ita in præsenti idem dicimus de intellectu. Et argumenta omnia pro potentis sensitivis valent etiam pro intellectu.

Ex quo etiam sequitur, quod intellectus sit tantum actiuus, vt probant argumenta communia ostendentes intellectionem produci à potentia, quæ sit in homine, quia idem potentia à nobis vocabitur intellectus agens, licet vulgo vocetur intellectus possibilis, quia vulgo admittuntur species intelligibiles in illo recepte: illum vero intellectum, quem vulgo vocant agentem, de medio tollimus propter dicta partitione superiore.

Objicies tamen: Quod attrahit ad se aliud habet se passiuè ad illud, sed intellectus attrahit ad se suum obiectum, ergo est passiuus.

Respondeo negando maiorem, & eius falsitas patet in magnete, qui attrahit ferrum per virtutem actiuam sibi innatam: vnde attractio alia est activa, & alia passiva, intellectus quidem attrahit ad se suum obiectum, sed per virtutem actiuam: ad illud verò Aristotelicum intelligere est quoddam pati, iam responsum est sub finem partitionis superioris.

S V B D I -

Num. 22.
Intellectus
possibilis, et
spiritualis, &
dicti agens.